

iam si fumosas Maiorum imagines non reperierimus, quæ in campum patentissimum nos deducent, vnde exitum difficile est breuitati nostræ inuenire. Pater enim præter STRAVSIOS, ad Auos ARNIMBIOS, SCHÖNBECKIOS, TROTTIOS, SCHÖNINGIOS, MARWICIOS, HALBERSTADIOS, SCHVLENBVRGIOS, nos adducet: Maternam gloriam itidem magna Maiorum nomina HÜNICKIORVM, BREDOWIORVM, TROTTIORVM, LOCHOWIORM, BÜNOVIORVM, KOPPELOWIORM, atque iterum SCHVLENBVRGIORVM illustrarunt. Ex his ingenium hausit NOSTER dignum tantis progenitoribus, quod Auia cum primis, generosa & pientissima Matrona, exstincto qui genuerat, formari curauit, hanc sibi curam deposcens, ut conductis præceptoribus intra lares suos carissimo Nepoti pietatis & litterarum fundamenta iniicerentur. Quod quum feliciter cessisset, idem fidei & institutioni perreuerendi & clarissimi viri M. GOTHOFREDI ALTMANNI, apud Seruestanos Ecclesiaſtæ dignissimi, commissus est, cuius dexteritate ita in optimis studiis profecit, etiam priuata quorundam Professorum illustris ibidem Gymnasii vſus opera; vt exacto Seruestæ septennio, quamuis admodum adolescens, non indignus vſus fuerit, qui ad Academicas acroases admitt-